

## **1334 juli 6, abdij Echternach**

Overgenomen van Cam. Wampach; Urkunden- und Quellenbuch zur Geschichte der altluxemburgischen Territorien bis zur burgundischen Zeit, deel VIII akte 277

6-7-1334

Johannes van Hoenhorst, provinciaal van de Duitse Orde in de lage landen en Johannes van Voeren, commandeur van het huis te Gemert verklaren gekocht te hebben van Jan van Scheepstal, investiet van de kerk van Tongelre, de helft van de tiende van Milheez, leengoed van de abdij Echternach.

Nos frater Johannes de Honchorst, commendator provincialis domus Theutonice per partes inferiores, et frater Johannes de Woren, commendator domus de Ghemert, notum facimus universis et singulis presentibus et posteris recognoscendo, quod dominus Johannes de Scepsal, presbiter investitus ecclesie de Tongurle, nobis vendidit titulo iuste venditionis pro se suisque post ipsum heredibus seu successoribus perpetuo et hereditario jure ad opus dicte domus nostre de Ghemert medietatem decime de Milhese, feudalem dominis ... abbati et conventui Epternacensi, ordinis Benedicti, dyocesis Treverensis, in omni forma et jure qua et quo ipse dominus Johannes sui que predecessores eam hucusque habuerunt, tenuerunt et possederunt, promittentes bona fide sub obtentu nostre religionis ipsis dominis .. abbati et conventui in predicta medietate decime instituere ... feudalem vel ydoneum et alentem qui eis respondebit te respondere tenebitur totiens quotiens et quando fuerit oportunum de omni jure et consuetudine debitis et consuetis, quibus dictus dominus Johannes de Scepsal et sui predecessores de jure seu consuetudine hactenus ipsis dominis abbati et conventui de dicta medietate decime fuerint occasione feodi astricti seu ligati.

Et dum ipsum ... institutum viam universe carnis ingredi contigerit, quod tunc vice sua feudalem vel quasi alium ydoneum et valentem mittemus et mittere promisimus pro nobis et nostris successoribus apud Epternacum ad dictos dominos .. abbatem et .. conventum instituendum in dicta medietate decime, qui ipsis similiter respondebit et respondere tenebitur totiens, quotiens et quando fuerit oportunum de omni jure et consuetudine in talibus debitis consuetis et observatis. Promittentes sub obligatione premissa, quod per aliqua privilegia vel alia quecumque subsidia contra premissa vel aliquid premissorum non veniemus seu faciemus per nos, alium vel alios, per quod eis aliquod preiudicium videlicet dominis ,.. abbati et conventui Epternacensi prelibatis poterit generari, omnibus fraudibus et dolis malis excogitatis et excogitandis penitus amotis. In quorum omnium testimonium et munimen duximus sigilla nostra presentibus apponenda.

Datum et actum anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quarto, die sexta mensis Julii.